

dirigitur. Non enim hominem illum dirigendum scriptura dixit, quem peruersum ac pessimum futurum esse praevidit: sed dolus, inquit, in manu eius dirigitur: quia scilicet fraudes & scelera quae disposuit, ad effectum quem proposuit, nullo retardante perduxit: quibus tamen peccatis in aeternum ut meruerat perit.

*Indignatio regis, nuncii mortis.* Nuncii mortis, sunt angeli fatanz, id est, haeretici, & vani Philosophi: imò omnes qui verba nunciant proximis, unde à morte rapiantur aeterna: qui quo amplius auctori mortis seruiunt, eò gravius vitae largitorem offendunt: nec tamen talibus iter poenitentiae praeludatur. Nam subditur:

*Et vir sapiens placabit eum.* Potest enim respiscendo Dominum placare, quem contigit stulte loquendo offendisse.

*In hilaritate vultus regis, vita.* Quicumque hilarem Christi vultum videre merentur, his in aeternum cum illo vivere dabitur. Alioquin in die iudicii, sicut scriptum est: videbit omnis caro salutare Dei. Sed hunc reprobi tunc iratum, iusti videbunt placidum.

*Et clementia eius quasi imber ferotinus. Posside sapientiam, quia auro melior est: & acquire prudentiam, quia pretiosior est argento. Semita iustorum declinat mala: custos animae suae servat vitam suam.* Serotinus imber in Iudaea iam maturis messibus usque hodie venire consuevit: ubi Dominus & matutinam pluviam promittit, dicens per Prophetam: Dabo vobis pluviam matutinam & ferotinam terrae. Pluvia ergo matutina est, sive temporanea, ut alibi nominatur: quando prima credendi in Christum semina suscipimus. Pluvia vero ferotina, quando maturis virtutum frugibus ablata de hac vita in dominico horreo reconditur. Et rectè clementia regis, imber ferotino comparatur: quia quod fructum vitae bene agentes percipimus: non hoc nostri libertas arbitrii, sed superni facit irrigatio doni.

*Contritionem praecedit superbia: & ante ruinam exaltatur spiritus. Melius est humiliari cum vitibus, quam dividere spolia cum superbis.* Contritionem enim futurae condemnationis praecedit superbia vitae praesentis: & unde hic omnis reprobis elevatur, inde illic iuste deicitur.

*Eruditus in verbo reperiet bona: & qui in Domino sperat, beatus est.* Non solum qui ad praedicandum Dei verbum eruditus est, bona apud illum reperiet: sed & ille qui in Domino spem ponere didicit: etiam si ad praedicandum alii idoneus non est, eisdem beatitudinis particeps existit.

*Qui sapiens corde est, appellabitur prudens: & qui dulcis est eloquio, majora percipiet.* Qui sapientiam Catholicae fidei quam didicit, illibatam suo in corde custodit, merito prudentis nomen accipit. At qui eandem sapientiam etiam doctè praedicare, & contra haereticos defendere novit, majora laboris amplioris praemia percipiet.

*Fons vitae eruditio possidentis: doctrina stultorum fatuitas. Cor sapientis erudit os eius: & labii eius addet gratiam.* Cum dixeret, possidentis, non addidit, quid possidentis. Quid autem putamus eum voluisse intelligi, nisi forte ipsam eruditionem: ut sit plena sententia: fons vitae eruditio possidentis ipsam eruditionem suam: quod est aperte dicere: quia ille praedicator verè suis auditoribus vitae vias aperit, qui exercet ipse quae praedicat: qui amorem verbi quo alios erudit, fixum in corde possidet: nec tantummodo memoria retentum quasi collectum gremio seminat in terram. Idcirco namque doctrina stultorum fatuitas est: quia & si quia bona dicere usu eruditionis didicerunt, eadem tamen quae dicunt bona ipsi fatuo corde contemnunt.

*Fatus mellis verba composita: dulcedo anima sanitas os suum. Est via qua videtur homini recta: & novissima eius ducunt ad mortem.* Multi per eloquentiam possunt amantibus & faventibus suaviter pronuntiare bona quae ipsi non amant: ea autem solum verba ad sanitatem ossium tuorum: hoc est, ad virtutum tuarum spiritualia incrementa proficiunt: quae ex interna animae tuae dulcedine procedunt.

*Anima laborantis laborat sibi: quia compulsi sunt os suum. Constat juxta litteram, quia expulsus de paradiso homo, quotidianum laborem ne deficiat exercet. Compulsi enim os suum, quando cum serpente loquuntur est: quando veterum tetigit: ut exilium longum cum sudore sufferat: & in sudore vultus sui pane vescatur. Sed & doctorem os suum ut laborem compellit: quia necesse habet agere bona quae dicit.*

*Vir impius fodit malum: & in labiis eius ignis ardescit. Homo perversus suscitavit lites: & verbosus separat principes. Et propheta ait. Ut iniquè agerent laboraverunt. Potest & de haeretico specialiter intelligi: qui pulcherrimos ac florentissimos divinorum eloquiorum campos, noxio linguae suae vomere rumpit: ut de internis eorum sinibus sentis impios, qui ibi non insunt, eruat. In cuius labiis ignis ardescit: quos se suosque auditores in perpetuum perdat. Unde & Jacobus: Lingua, inquit, constituitur in membris nostris, quae maculat totum nostrum corpus, & inflammata rotam navitatis nostrae inflammataam gehenna.*

*Vir iniquus lactat amicum suum & ducit eum per viam non bonam.* Potest & de haeretico & de omni fautore malorum accipi: Quoniam laudatur peccator in desideriis animae suae: & qui iniqua gerit benedicitur.

*Qui atrionis oculis cogitat prava: mordens labia sua perficit malum. Corona dignitatis senectus quae in viis iustitiae reperietur.* Graviter est perficere malum, quam facere. Non solum autem ille perficit malum, qui per membra sui corporis peruersum quid operatur & noxium: verum etiam ille qui fixa intentione malum patrare disponit. Solent enim superbi indignantes labia mordere: solent atrionos habere oculos: & praesentia non videre dum aliquandiu taciti sedula mente pertractant. Unde datur conijci quod atrionis oculis prava cogitare dicat eum, qui sic mala quae facit, inquirat, ut quae se in futurum retributio malorum operum sequatur, non videat.

*Melior est patiens viro forti: & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium.* Minor est victoria urbes expugnare, quia extra sunt quae vincuntur: majus autem est quod per patientiam vincitur: quia ipse à se animus superatur: & semetipsum sibi metipsum subjicit, quoniam eum patientia in humilitate tolerantiae sternit.

*Sortes mittuntur in sinum: sed à Domino temperantur.* Sicut sortes palam in sinum mittuntur, at clausae in sinu continentur: divini autem est iudicii cuius fors elata palmam tenet: sic hominum facta in praesenti quidem vita latent: sed cuius sint meriti patefecit in futuro, prolo videlicet tunc ac manifestato iudicio singulorum, quasi de sinu examinis divini.

## Caput XVII.

**MELIOR** est buccella sicca cum gaudio, quam domus plena vittimis cum iurgio. Melius est parva bona cum charitate facere sine scientia praedicandi: hoc est enim siccam esse buccellam, quam magnis effulgere virtutibus cum admixtione discordiae.

*Seruus sapiens dominabitur filiis stultis: & inter fratres hereditatem dividet.* Servit quilibet peccator delictis suis subditus olim, qui post conversionem vitae suae sapiens effectus, atque flagrantissimo amore dilectione Dei fervens, filiis stultis, hoc est, quibusdam fidelibus à charitate Dei, per acceptam fidem tepescentibus, actu vel praedicatione sua, eis praelatus dominatur: atque inter fratres perfectos scilicet sanctos, supernae patriae hereditatem dividit.

*Sicut igne probatur argentum, & aurum camino: ita corda probat Dominus. Malus obedit lingua iniqua: & salax obtemperat labiis mendacibus. Qui despicit pauperem, exprobrat factori eius: & qui in ruina latatur alterius, non erit impunitus.* Argentum quippe vel aurum si reprobum est, igne consumitur: si vero probatum, igne declaratur: sic nimirum est sensus uniuscuiusque operantis: nam qualis sit in eo quod laudatur vel vituperatur, ostenditur.

*Corona senum filii filiorum: & gloria filiorum patres eorum. Non decet stultum verba composita: nec principem labium mendax.* Senes dicit Patriarchas & Prophetas, qui à filiis filiorum, hoc est, à successoribus Apostolorum, digna laude celebrantur: & gloria eorum praedicatorum novi testamenti, quod filii veterum patrum esse meruerunt.

*Gemma gratissima expectatio praesolantis: quocumque se verterit, prudenter intelliget. Qui calat delictum, querit amicitias: qui altero sermone reperit, separat foderatos. Plus proficit correctio apud prudentem, quam centum plage apud stultum.* Qui praemia futura fideliter expectat, quasi gemmae splendens possessione letatur. Nam & in Evangelio negotiator sapiens pro acquisitione pretiosae margaritae: id est, desiderio celesti omnia quae habuit vendidit: talisque exactor

tor sive adversa seu prospera contigerint, à sua intentione non deflectit: praeponderat intelligens, Quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.

*Semper iurgia querit malus: angelus autem crudelis mittetur contra eum.* Angelus crudelis, immundus est spiritus: qui à Domino contra peccantes mittitur: ut eos vel in praesenti affligat, ut Aegyptios, quibus immisit iram indignationis suae: indignationem & iram & tribulationem: immisionem per angelos malos: vel etiam post mortem ad interitum rapiat aeternum. At contra immittit angelum Dominus in circuitu timentium eum & eripiet eos.

*Expedi magis urae occurrere raptis fatibus, quam fatuo confidenti sibi in stultitia sua. Qui reddit mala pro bonis: non recedet malum de domo eius.* Facilius erat doctoribus sanctis furori gentilitatis occurrere, raptis à se populis aliis quibus, atque à bestiali ejus sevitia ad fidei pietatem praedicando conversis, quam haeretico cui libet confidendi in sui perfidia dogmatis: quia nimirum illud contra exteros, hoc contra sua viscera certamen agebant. Potest urae nomine ipsius hostis antiqui malitia intelligi: cuius fetus rapimus, cum eos qui erant filii diaboli, catechizando & baptizando filiorum Dei faciemus adiungimus: & hoc plerumque multo leviori labore perficitur, quam sit haeretico ad fidei rectam revocare: vel Catholicum prava agentem, ad bonae operationis statum reducere.

*Qui dimittit aquam, caput est iurgiorum: & antequam patiatur contumeliam, iudicium deserit. Et qui iustificat impium, qui condemnat iustum, abominabilis est uterque apud Deum.* Aquam dimittere, est linguam in fluxum eloquii relaxare: quo contra in bonam partem dicitur: Aqua profunda verba ex ore viri. Qui ergo dimittit aquam, caput est iurgiorum: quia qui linguam non refrenat, concordiam dissipat. Unde è diverso scriptum est: Qui imponit stulto silentium, iras mitigat.

*Quid prodest habere divitias stulto, cum sapientiam emere non possit? Qui altam facit domum suam, querit ruinam: & qui evitat discere, incidit in mala.* Quid prodest populo Iudaeorum infideli habere divitias scripturarum, cum in his Christum intelligere non possit? Quid haeretico eisdem abundare divitiis, cum unitatem fidei in eis discere nequeat? Quid malo Catholico expedit divitias habere verè fidei, cum sapientiam pie actionis habere neglexerit?

*Omni tempore diligit qui amicus est: & frater in angustiis comprobatur.* Qui Dominum verè amat, omni tempore ejus custodit amorem: neque in angustia passionis deserit, quem in pacis tranquillitate confessus est.

*Homo stultus plaudet manibus, cum sponderit pro amico suo. Qui mediatur discordias, diligit rixas: & qui exultat os suum, querit ruinam. Qui perveris cordis est, non invenit bonum: & qui veris linguam, incidit in malum. Natus est stultus in ignominia sua: sed nec pater in filio fatuo latabitur.* Stultus est, qui cum animam fratris suscipit regendam, de suis gloriatur actibus: & non potius ei humilii compensione quicquid potest auxilii salutis impendit.

*Animus gaudens etatem floridam facit: spiritus tristis excruciat ossa. Munera de sinu impius accipit: ut pervertat semitas iudicii.* Qui interna Spiritus sancti consolatione letatur, etiam bonae actionis flore decoratur, & fructus praemiorum praestolatur celestium. Qui verò tristitia saeculi, quae mortem operatur, angitur, pinguedinem divinae charitatis in robore virtutum quas exercere videtur, habere nullatenus valet: sed quati excruciat ossibus marcescit: quia in bonis actibus quae facit gratiam dilectionis amittit.

*In facie prudentis lucet sapientia: oculi stultorum in finibus terrae. Ira patris filium stultum: & dolor matris quae genuit eum.* In facie quidem Domini Salvatoris lucet sapientia divinitatis, quam in carne apparens, virtutum & doctrinae testimoniis demonstrabat. Verum oculi Iudaeorum non credentium, terrenis potius desideris perficiendis, quam salutaribus ejus monitis intendebant. Sed & generaliter saepe prudentes gravitatem sui sensus in ipso etiam frontispicio praemonstrant: nec tamen stulti ad hanc admirandam sectandamque oculos mentis attollunt: sed è contra qualiter ad finem voluptatum carnalium pertingant, tota intentione perquirunt.

*Non est bonum damnum inferre iusto: nec percussio peccatori.*

*Qui moderatur sermones suos, doctus & prudens est: & precioso spiritus vir eruditus. Stultus quoque si tacuerit, sapiens reputabitur: & si compresserit labia sua, intelligens. Occasionem querit qui vult recedere ab amico: omni tempore erit exprobrabilis. Non recipit stultus verba prudentia, nisi ea dixerit quae versantur in corde ejus.* Et de ipso principe ac iudice saeculorum, qui pro nostra salute percussus voluit, accipi potest: & de omnibus generaliter Ecclesiae rectoribus: qui vel facultatibus nudati ab impiis, vel ipsa aeterna sunt morte consumpti.

## Caput XVIII.

**IMPUS** cum in profundum venerit peccatorum contemnit: sed sequitur eum ignominia & opprobrium. Qui longis peccatorum tenebris involutus semel de luce desperat, jam ex desperatione passim sibi peccandi frenam relaxat: sed talis opprobrium futurae damnationis nulla ratione evadit: quem ab usu suae iniquitatis nulla divini timoris memoria cohibuit.

*Aqua profunda, verba ex ore viri: & torrens redundans, fons sapientiae. Accipere personam impii in iudicio non est bonum, ut declines à veritate iudicii. Labia stulti immiscens se rixis: & os ejus iurgia provocat. Os stulti contristio ejus: & labia ipsius ruina animae ejus.* Verba sapientium aquae comparantur: quia & lavant mentes audientium, & irrigant ne vel peccatorum forde deformes remaneant: vel doctrinae celestis inopia tabescant, & quasi nociva ariditate deficiant. Et quia eadem doctorum verba fidelium, quadam mystica latent & occulta, quae solentiore comprehendantur industria: quadam verò aperta & cunctis audientibus facilia ad intelligendum proficiunt: rectè hæc & aquam profundam, & torrentem dicit esse redundantem. Potest autem & ita distingui: ut quia veteris testamenti scriptura typicè prolata est, dicatur de ea: Aqua profunda, verba ex ore viri. Quia Dominus & Apostoli palam utriusque testamenti sacramenta mundo referabant, adiungatur de illis: Et torrens redundans fons sapientiae.

*Verba bilinguis quasi simplicia, & ipsa perveniunt usque ad interiora ventris. Pigrius accipit timor: anima autem effaminatorum esuriens.* Bilingues sunt cuncti haeretici, quia prava persuasionem locutionis suae, mentes simplicium velut pestifero veneno ita corrumpunt, ut ad sanitatem difficile venire possint.

*Qui mollis & dissolutus est in opere suo: frater est sua opera dissipantis. Turris fortissima nomen Domini: ad ipsam currit iustus & exaltabitur.* Quia qui cepta bona distructis non exequitur, dissolutione negligentiae manum destruentis imitatur.

*Substantia divitis urbs roboris ejus: & quasi murus validus circumdatus eum.* Non terrena substantia semper defendere potest: imò plerique propter divitias sunt capti vel occisi. Unde & Ecclesiastes ait: Divitiæ conservatae in malum domini sui: pereunt enim in afflictione pessima. Melius ergo intelligitur substantiam laudare virtutum, quibus quicumque abundat, quasi muro inexpugnabili cunctas hostium arces insidias.

*Antequam coneratur, exaltatur cor hominis: & antequam glorificetur, humiliatur.* Id est, ante contritionem futurae ruinae vel damnationis, praecedat elatio cordis atque prava actio.

*Qui prius respondet quam audiat: stultum se esse demonstrat & confusione dignum.* Qui prius doctor esse desiderat quam dicat, stultitiae noxam non declinat. Qui iudicare proximorum facta prius quam plenè causam utriusque partis cognoscat, inordinate festinat, se confusione dignum demonstrat.

*Spiritus viri sustentat imbecillitatem suam.* Et ipse vir ait: Spiritus quidem promptus est: caro autem infirma. Potest & de quolibet viro sancto accipi, qui carnis imbecillitatem, ne in tentationibus cedat, mentis fortitudinem sustentat.

*Spiritum verò ad irascendum facilem quis poterit sustinere? Cor prudentis possidebit scientiam: & auris sapientium querit doctrinam.* Quia qui ad irascendum facilis est, nec seipsum potest sustinere: ita ut iratus saepe dicat ea quae postmodum placidis quia dixerit poeniteat: & plerumque an di-



herit ignoret. Cujus tamen vesania nonnunquam per sapientium modestiam facillimè suffertur, atque ex tempore sopitur.

*Donum hominis dilatat viam ejus: & ante principes spatium ei facit.* Donum charitatis: sive aliarum virtutum: quas à Domino fideles accipiunt: dilatat viam actionis eorum: quia quò magis gratia spiritus intus replentur: eò latius foris bonorum operum gressus multiplicat: atque inter magnos Ecclesiæ rectores, in futuro culmen fortuntur honoris. Aliter: Donum spirituale salvatoris quod mundo attulit, dilatat viam ejus: quod ad plurimas orbis nationes per fidei & dilectionis suæ præsentiam veniret: nec solum populos, sed ipsos etiam rerum dominos, concupiscentiis renunciare, ac sibi libenter obtemperare faceret.

*Justus prior est accusator sui: venit amicus ejus & investigabit eum.* Omnis qui verè justus est, ubi peccantium errata conspicit, primo ad seipsum oculum considerationis inflectit: dumque suam fragilitatem acculaverit, sic deum ad corripiendos alios linguam benignus exerit. Sed ille qui suis fidelibus dicere dignatus est: Vos autem dixi amicos: quia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis: venit in cor ejus per præsentiam divinæ contemplationis: & quem mundum à sordè iniquitatis agnoscit, ejus humilitatem digna mercede remunerat.

*Contradictiones comprimit fors: & inter potentes quoque judicat.* Sors est occulta & incomprehensibilis prædestinatio ex divina regula procedens. Quæ inter potentes, hoc est, electos, dum singulis propria assignat, judicat.

*Frater qui adjuvatur à fratre, quasi civitas firma: & judicium quasi vinctus urbium.* De fructu oris viri replebitur venter ejus: & genimina labiorum ipsius saturabunt eum. *Mors & vita in manibus lingue: qui diligunt eam, comedent fructus ejus. Qui invenit mulierem bonam, invenit bonum: & hauriet jucunditatem à Domino. Qui expellit mulierem bonam, expellit bonum: qui autem tenet adulteram, stultus est & insipiens.* Cum populus uterque Judæorum scilicet & gentium, fraterna sibi in Christo charitate consentit: unam jam Catholicæ Ecclesiæ civitatem construit: & sicut vinctus urbium portas muniunt, ita dogmata utriusque testamenti, Ecclesiæ per orbem, que unam Catholicam faciunt, ab infidelium incurusione defendunt.

*Cum obsecrationibus loquitur pauper: & dives effabitur rigide.* Humiles spiritu, humiliter Dominum adorant: ut Evangelicus ille Publicanus: superbi sua merita jactant, ut Pharisæus.

*Vir amabilis ad societatem, magis amicus erit quam frater.* Credens ex gentibus populus magis amatus est à Domino, quam Judæus sine fide perdurans: in quo secundum carnem natus est. Potest & de Apostolis ex Judæa natis intelligi: quia magis eos amarent credentes ex gentibus quam ex sua gente increduli.

## Caput XIX.

**MELIOR** est pauper qui ambulat in simplicitate sua, quam dives torquens labia sua & insipiens. Melior est simplex auditor verbi Dei: si ea quæ intelligere in scripturis potuit, operando perficit: quam eruditus quisque si in illis quæ acutè intellexit, ad hæresim prædicandam labia retorquet.

*Ubi non est scientia anime, non est bonum: & qui festinus est pedibus, offendit.* Animæ quidem humanæ, scientia vitæ cælestis est necessaria: quia nimirum sine hac beata in perpetuum esse non potest, attamen qui effrenatis sensibus mentis plus appetit sapere quam decet, plerumque offensivam hæreticæ stultitiæ temerarius incurrit. Quod in primis humani generis parentibus mysticè figuratum est: qui dum appetitu scientiæ majoris vetitum contingere properabant: à statu beatitudinis in qua conditi sunt deviantes, in pœnam miseriæ & mortalitatis inciderunt.

*Stultitia hominis supplantat gressus ejus, & contra Deum fervet animo suo.* Stultorum moris est, ut cum peccando viam veritatis deserunt, non se errasse fateantur: sed ad culpam conditoris, sui reatus originem referant: quasi ipse occasionem peccandi tribuerit, qui vel fragilem fecerit hominem, vel ad tentationem ejus hostem versutum admiserit. Unde & primus nostri generis parens, post prævaricationis exce-

sum increpatus à Domino, ad defensionem mox excusando refugit, dicens: Mulier quam dediti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi. Et ipsa mulier: Serpens, inquit, decepit me: Ambo namque in creatorem quod peccaverant, retorquebant. Ille quod mulierem, per quam periret, à Domino sociam accepisset: illa quod Dominus serpentem, qui se deciperet, in paradiso constituisset: quo contra sapiens Dominum precatur, ut non declinet cor suum in verbum malum, ad excusandas excusationes in peccatis. Sed & ille suos supplantans gressus contra Deum fervet animo, qui divina imperia per suam inertiam contemnens, insuper ipsum Dominum quasi impertabilia hominibus onera impoluerit, mente reprehendit insana.

*Divitiæ addunt amicos plurimos: à paupere autem & hi quos habuit, separantur.* Testis falsus non erit impunitus: & qui loquitur mendacia, non effugiet. Multi colunt personam potentis, & amici sunt dona tribuentis. Fratres omnes pauperis oderunt eum: insuper & amici procul recesserunt ab eo. Divitiæ regni cælestis, quæ per sanctos doctores fidelibus tribuendo prædicantur, multos amicos & eisdem prædicatoribus, & earum largitori Domino asciscunt. A philosophis autem caterisque gentium magistris: quia nil certæ beatitudinis in futurum norunt promittere: & hi quos habere separantur, videlicet conversi ad fidem spemque dominicæ promissionis certissimam.

*Qui tantum verba scatur, nihil habebit: qui autem possessor est mentis, diligit animam suam: & custos prudentiæ inveniet bona.* Et Apostolus ait: Non auditores legis justificabuntur apud Deum, sed factores legis justificabuntur.

*Falsus testis non erit impunitus: & qui loquitur mendacia peribit.* Redarguetur eum qui verba tantum scientiæ absque operationis efficacia scatur: redarguit nunc illum qui ipsa verba divinæ autoritatis malè interpretando corrumpit. Quod autem multa sæpius iterantur, firmitatis judicium est: ut Joseph omnium regis interpretans ait: Eo quod sit sermo Dei, & veraciter impleatur.

*Non decet stultum delicia, nec servum dominari principibus.* Non decet hæreticum delicia scripturarum: quia bene uti non novit: neque illum qui servus adhuc peccati esse probatur, præferri justis in regimine Ecclesiæ.

*Doctrina viri per patientiam noscitur.* Doctrina Ecclesiastica per patientiam doctorum quam fit perfecta monstratur: quia dum magis afflictionibus ac morti corpus subdere, quam à docendi officio cessare, voluerunt: ostendebant utique quantum esset salutaris, quam tanta instantia defendere curarunt. Aliter: Doctrina viri per patientiam noscitur: quia tanto quisque minus ostenditur doctus, quanto convincitur minus patiens. Neque enim potest veraciter bona docendo impendere, si vivendo nescit æquanimiter aliena mala tolerare. Rectè autem subditur:

*Et gloria ejus est iniqua prætergredi.* Quia nimirum perfecti doctoris est sic aliorum improbitatem patienter sufferre, ut suam quoque fragilitatem noverit ab iniqua actione solerter observare. Neque enim aut munditia-proprie conversationis, sine tolerantia sufficit externæ perturbationis: aut si is qui fortiter adversa foris sustinet, intus adhuc enerviter iniquis motibus fervet.

*Sicut fremitus leonis, ita & regis ira: & sicut ros super herbam, ita & hilaritas ejus.* De David Rege dicit, qui in judicio, & hilaris ac blandus justis, & terribilis apparebat injustis.

*Dolor patris filium stultum.* Deus qui in sua natura impassibilis semper est & placidus, dolere tamen nostro more dicitur, eum homines quos ad se credendum laudandumque creavit, hosti potius maligno quam sibi servire considerat. Unde & Moyses loquitur: Pœnituit eum quod hominem fecisset in terra: & tactus dolore cordis intrinsecus: Delebo, inquit, hominem quem creavi, à facie terræ.

*Et testa jugiter persillantia litigiosa mulier.* Domus & divitiæ dantur à parentibus: à Domino autem proprie uxor prudens. Sicut testa persillantia pluviam quidem de cælo suscipiunt: nec tamen hanc ad utilitatem aliquam dispartunt, sed ad molestiam potius inhabitantium derivant: Ita nimirum hæreticorum Ecclesiæ, cælestium dona verborum non ad salutem animarum, sed ad suæ usum nequitia male interpretando, & contra Catholicos litigando convertit. Testa etenim persillantia, mundas quidem pluvie guttas accipiunt, sed sub rectis in domo sordidas reddunt: & hæreticus lim-

pidissima cælestis oraculi verba, auditu corporis haurit: at ubi hæc corde polluto attingit, auditoribus suis sordè mixta ministrat.

*Piger inmittit soporem.* Piger appellatur, qui rectè sentiendo quasi vigilat: quamvis nihil operando torpescat. Sed piger inmittit soporem, quia paulisper etiam rectè sentienti vigilantia amittitur, dum à bono operandi studio cessatur. Rectè autem dicitur:

*Et anima dissoluta esuriat. Qui custodit mandatum, custodit animam suam: qui autem negligit viam suam, mortificabitur.* Nam qui se ad superiora stringendo non dirigit: neglectum se inferius per desideria expandit. Et dum studiorum fibrillum vigore non contrahitur, cupiditatis intima fame fauciat: ut quo per disciplinam ligari dissimulat, eo se elutiens per voluntatum desideria spargat.

*Fœneratur Domino qui miseretur pauperis. & vicissitudinem suam reddet ei.* Fœnus est pecunia ad usuram commodata: qui enim miseretur pauperis, fœneratur Domino, quia ideo erogat modica temporalia, ut ab eo recipiat ampliora æterna. Hujus sententiæ veritatem probat ipse Dominus, cum se elemosynam faciendum diciturum esse prædixit: *Quandiu fecistis uni de his minimis meis, mihi fecistis.*

*Erudi filium tuum & non desperes, ad interfectionem autem ejus ne ponas animam tuam.* Subjectum tibi quemlibet si errare conspicis, diligenter calligere curato: quod si curari renuit, ita erga illum circumspecte & temperanter age: ne quid in omnino tuis verbis vel actibus, unde amplius peccet inveniat. Cui sensui opitulatur illud quod sequitur:

*Qui impatiens est, sustinebit damnum: & cum rapuerit, aliud apponet.* Audi consilium & suscipe disciplinam, ut sis sapiens in novissimis tuis. Multæ cogitationes in corde viri: voluntas autem Domini in æternum permanebit. Si enim duritia contradicentis fratris, quem erudire cepisti, provocatus ipse in impatientiæ vitium labaris, damnum profecto tuæ virtutis incurris: & cum illi durius forte increpando spem promerendæ salutis agendaque penitentia quam habuerat rapueris: rationem pro eo quod fratrem scandalizasti, districto judici reddes. Patet literæ sensus: quia qui per impatientiam inopiæ, furto servit, aut rapinis, damnum suæ animæ facit: & cum rem proximi tollit, & si non homini pro hoc, certe æterno judici rationem reddere habet. Unde alia editio ita hunc versum transulit: Malè cogitans homo, multo damno affligetur: & si perniciosus fuerit, animam suam apponet: quia nimirum cum pecuniam violentus abstulerit, pro hac animam invitus dabit.

*Homo indigens misericors est.* Indigentem dicit humilem, qui se perpetuis bonis egere sine cessatione recolit: talis namque ut misericordiam consequatur à Domino, nunquam proximo misereri recusat. De quo & subsequenter annexit:

*Et melior est pauper quam vir mendax. Timor Domini ad vitam: & in plenitudine commorabitur absque visitatione pessimi.* Melior est namque humilis corde, qui nihil fudit suis operibus, quam qui se præ excellentia virtutum viri nomine dignum ducens fallitur, nescius dum superbiendo perdit bona quæ gessit.

*Abcondit piger manum suam sub ascella: nec ad os suum applicat eam.* Pessilente flagellato, stultus sapientior erit: si autem corripueris sapientem, intelliget sapientiam. Qui affligit patrem, ignominiosus erit & infelix. Non cesses filii audire doctrinam, nec ignores sermones scientiæ. Nemo ita piger est ut ad os manum vel comedendo reducere laborem putet: sed pigro labor est manum ad os porrigere, quia desidiosus quisque prædicator, ne hæc vult operari quæ dicit. Manum quippe ad os porrigere, est voci opere concordare.

*Testis iniquus deridet iudicium.* Illud videlicet de quo dicitur: non fallum testimonium dices: vel certe venturum, de quo supra dicitur: Testis falsus non erit impunitus: & qui loquitur mendacia, peribit.

*Et os impiorum devorat iniquitatem.* Sicut famelicus refici cibis desiderat: ita impius ut iniquitatis executione satiatur, ardens exquirat.

*Parata sunt derisoribus iudicia: & mallei percussiones stultorum corporibus.* Luxuriosa res vinum: & tumultuosa ebrietas. Quicumque his delectatur, non erit sapiens. Sicut rugitus leonis, ita & terror regis: qui provocat eum, peccat in animata suam. Honor est homini qui separat se à contentione. Tom. V.

nibus: omnes autem stulti in secentur contumeliosi. Etsi reprobi, sicut prædictum est, vel jussionis vel comminationis divinæ iudicium derident: parata tamen eos expectant iudicia damnationis: quæ ut mallei ferrum candens, ita eos in fornace gehennæ sine fine verberent.

## Caput XX.

**PROPTER** frigus piger arare noluit: mendicabit ergo aestate & non dabitur ei. Sicut aqua profunda, sic consilium in corde viri: sed homo sapiens exhauriet illud. Qui nunc propter desidiæ in Dei servitio laborare neglexit: venturo die regni mendicabit: & non dabitur ei, quia quæcumque seminaverit homo, hæc & metet. Bene ergo regnum Dei ætati comparatur, quia tunc meritis nostri nubila transeunt, & vitæ dies æterni solis claritate fulgeant.

*Multi homines misericordes vocantur: virum autem fidelem quis inveniet?* Multi quidem misericordes presenti in sæculo apud homines videntur: virum autem fidelem, hoc est, qui recta intentione bonum opus faciat, inveniri difficile est.

*Justus qui ambulat in simplicitate sua: beatus post se filios derelinquet.* Non hoc secundum literam semper stare potest. Nam & beatus Samuel vir justus ac simplex, dissimiles sui filios reliquit, & Achaz injustus ac reprobus, beatum post se filium reliquit Ezechiam: sed filios justus dicit eos, qui exempla justis sequuntur. Unde nunc omnes electi propter fidem, filii dicuntur Abraham, teste Apostolo qui ait: Si autem vos Christi, ergo semen Abraham estis: quibus beatitudo non hujus sæculi, sed futura promittitur. Unde rectè subjungitur:

*Rex qui sedet in solio iudicii, dissipat omne malum intuitu suo.* Etsi enim in hac vita electi mala patientur reproborum, ubi universalis iudicii dies apparuerit, omnia mala dissipantur: & coronatis cum Domino justis, soli penas subibunt injusti. Quod etiam nunc per partes agitur, cum quis sanctorum victor exierit de sæculo, & ille qui eum tribulabat persecutor digna factis perceperit. Potest hic versus & de electis accipi, qui habent aliquando latentia in mente mala: quæ ab aliis videri non possunt hominibus: quæ tamen Dominus cernit, quando ea occulto respectu gratiæ destruit. Denique conversus Dominus respexit Petrum, & recordatus est Petrus verbi Domini &c.

*Quis potest dicere, mundum est cor meum, purus sum à peccato?* Notandum quod non ait: Quis potest mundum habere cor, & purus esse à peccato? sed, quis potest dicere, inquit, mundum est cor meum, purus sum à peccato: quia sunt qui largiente divina gratia, possunt juxta humanum modum & cordis & operis munditiam habere: unde est illud Dominicum: Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt. Et in Psalmo: Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto ejus? Innocens manibus & mundo corde. Si enim nemo mundum habet cor, neque ullus purus est à peccato: consequens est profecto, ut nullus ascendat in montem Domini: nullus hominum ster in loco sancto ejus. Quia vero constat multos ascensuros in montem Domini, staturoque in loco sancto ejus: restat utique ut sint multi mundo corde, & juxta humanæ possibilitatis modum puri à peccato: nec tamen seipsum quisquam mundum corde & immunem esse à peccato absque temeritate pronunciat. Stulta est namque propria laudis jactantia, temerarium de sua quemque innocentia, vel iustitia gloriari. Et quia sunt qui sua laudare quasi fortia, proximorum vero facta velut vilia solent improbare: rectè subjungitur:

*Pondus & pondus, mensura & mensura: utrumque abominabile est apud Deum.* Pondus & pondus: hoc est, majus & minus, mensura & mensura, similiter major & minor, utrumque est abominabile apud Deum. Præpositi enim in Ecclesiâ pravè viventes, has duplices mensuras in domibus, hoc est, conscientiis suis habent: quia bonum quod aliis imperant, ipsi minimè faciunt: & malum quod in subditis damnant, ipsi perpetrare non desunt. Pondus & pondus, mensuram & mensuram, hypocritæ atque hæretici in domibus, hoc est in sensibus suis habent, in eo quod se mundos in cogitatione, & puros in actione sua esse mentiuntur: ca-